



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Theses Theologicæ Apologeticæ Et Miscellanæ,
Adversvs Doctrinam Cornelii Iansenii Propvgnatam Ab
Eivs Patronis Svb Prætextv Qverimonix Typographi
Lovaniensis**

Derkennis, Ignatius

Antverpiæ, 1641

XII. De Bvlla Dvorvm Pontificvm Et Michaele Baio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73743](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73743)

ri, vt gratia data arguat positum effectum, & hic non positus non collatam gratiam designet. 5. Per gratiam quidem nos non cogi, ita tamen ad vnum determinari, vt pro tunc indifferencia ad oppositum auferatur. 6. Gratia efficaci sublatâ voluntatem per sufficientem non roborari, vt præceptum implere queat; adeoque tunc concupiscentiâ dominante necessariò peccari. An non ea ipsa propugnat Iansenius? an non vti Calvinus toto libro tertio sua ex Augustino contra Pighium, & alibi sæpè, ita ex eodem sua ille, ac similibus ratio-

nibus confirmat? Si ergo Iansenius in his veritatem assecutus, quod Ianseniani contendunt, ex eorum iudicio eandem perfectè attigere hæretici. Meritò ergo inculcant: Non idè, quia hæretici veritati appropinquant, (adde & assecuti) oportet ab ea refugere. At cur eos hæctenus auersati Catholici? Cur damnauit Tridentinum? An non hinc euidenter conficitur hæreticos non tantum hic non assecutos esse veritatem, sed longissimè ab ea recessisse, cuius oppositum volunt Ianseniani?

XII. DE BULLA DVORVM PONTIFICVM ET MICHAELE BAIIO.

DICUNT I. Propositum non fuisse Iansenio, Propositiones huius à Pontificibus damnatas scholis & pulpitis reddere. pag. 87.

RESP. Si ita est, quomodò supra xxx. ex illis, verbis vel iisdem vel æquiualentibus, variis locis (vt cap. 4. Thesisum ostendimus) defendit: quorum non paucas dicit esse doctrinæ S. Augustini, & ipsius Catholicæ fidei fundamenta.

II. Quosdam ex emulacione in Baium propositiones varias ex eius scriptis excerpisse, & importunis Romæ sollicitationibus damnationem earum nisus extorquere: & cessisse importunitati Pium V. Pontificem.

RESP. Si hinc inferre volunt propositiones ipsas immeritò fuisse damnatas, iniuriam faciunt Pontifici, qui testatur eas stricto coram se examine ponderatas, priusquam eas condemnauit. An autem hic vel ille eas docuerit vel non docuerit, questio facti est, & de propositionibus ipsis iudicium non mutat.

III. Baium in Apologia sua conquestum fuisse: Quadragesima circiter articulos, falsò sibi impositos, de quibus nunquam cogitauerit.

RESP. Esto, articuli aliqui vel malè intellecti vel falsò fuisse impositi, tunc quidem in istis culpa vacasset Auctor: id tamen à iusta condemnatione non liberaret ipsas sententias. Quæ ne ex eius vel vera vel putata auctoritate latius serperent, iteratò fuere damnandæ, nequidquam interpositâ eius Apologiâ.

IV. Dicunt Baium verba Bullæ, dicentis: Quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent &c. intellexisse sicut intellexit Iansonius & Iansenius: videlicet quòd sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus

intento. Nec proinde post verba: sustineri possent, ponendum esse comma (,) cum in tota Bulla originali nullum sit comma, punctum vel interpunctio. Neque Pontificem ordinem verborum Bullæ à Baio in Apologia positum correxisse.

RESP. Baius in Apologia sua MS. verba prædicta sic ordinat: quamquam nonnullæ aliquo pacto in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri possent: Pontifex verò ea sic digere: quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas &c. damnamus. Aliter ergo ponit quàm Baius. Et quamquam in huius fortè solatium posuerit, quòd nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, non tamen ei dedit: quòd in rigore & proprio verborum sensu possint sustineri. Cur enim illas alioquin damnaret, aut erroneas, temerarias, scandalosâs &c. esse definiret? Est ergo post verba sustineri possent, ponendum comma, (,) (quod habet Bulla nostra Romæ impressa:) vt sequentia verba: in rigore & proprio verborum sensu, referantur ad voces sequentes damnamus &c. Nec adferri contrâ potest, in Bulla originali post dicta verba comma nullum haberi; nam vniuersa Bulla omni commate, puncto & interpunctio caret: vt in MSS. fieri consuevit. Sunt ergo interpunctiones ex impresso Romæ exemplari petendæ: vti & propositionum damnatarum numeri; qui in impressa Bulla ad marginem adiecti sunt; in MS. verò similiter desunt; sic vt & ex solis litteris capitalibus desumpti sint numeri illi qui in bulla nuper impressa sunt positi: quos proinde mirum non est, à numeris in Romana bulla positis, nonnihil discrepare.